

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0138

0136

0142

0132

0147

0127

0187

0087

0237

0037

0637

127

Sed cum paululum stetissemus, visum paulatim recepimus et grandia aedificia arcuato opere facta vidimus. Nam ibi erant VIII ordines columnarum, testudines sustentantes et superiora aedificia, quae olim erant superaedificata, jam vero superius est viridarium olivarum ad latus templi. Dicunt autem Judaei et Sarraceni, quod illa subterranea habitacula fuerint equorum Salomonis stabula; sed melius est dicere, quod ibi fuerint Nethota, hoc est pigmentaria et apotheca aromatum, ut supra patuit (229 A). Huc enim reposuit aromata illa pretiosissima, quae regina Saba attulit, ut habetur 3. Reg. X. Nec credendum est, quod rex Salomon bestias locaverit in nobilissima domo, de qua mirabatur Sibylla Saba, praesertim cum esset prope templum, in cuius irreverentiam cessisset equorum stabulatio, sed alibi pro curribus et equis et equitibus habitacula construi fecit, ut habetur 3. Reg. IX.

Porro sub testudinibus illis erant multi cumuli lapidum erecti in altum, de quibus Judaeus ille, qui nos in locum duxerat, dixit nobis, quod ipsi Judaei erigunt istos cumulos ad praeoccupandum locum: sperant enim, se terram sanctam citius rehabitueros, et ideo peregrini eorum, qui de longinquis terris veniunt, loca praeripiunt, in quibus post eorum redditum habitate se sperant. Superius in uno loco testudinis est grande foramen et ruptura, per quam Sarraceni purgamenta templi et atrii injiciunt. Cum magno timore ibi fuimus, quia si Sarraceni nos ibi invenissent, male profecto nos tractassent. Si timorem non habuissemus, per immunditias potuissemus in templi atrium adscendisse. Igitur visis his, quae dicta sunt, exivimus per foramen, per quod intravimus, et montem Moria, qui est mons templi, gygravimus, et sursum usque ad angulum, in quo murus orientalis cum australi nectitur, per clivum adscendimus ad murum civitatis sanctae. In illo muro vidimus maiores et longiores lapides, quam unquam viderim in aliquo civitatis muro. Non tamen erant adeo egregia saxa, sicut Josephus memorat habuisse murum Jerusalem, quae XX cubitorum longa et X lata erant, lib. VI. c. 8. Respicit autem murus ille vallem Josaphat et torrentem Cedron, e regione montis Oliveti. Porro in illo muro a terra sursum in

Ende

Anfang